

**Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

**Desiderii Erasmi Roterodami Paraphrases In Novvm  
Testamentvm**

Praemissa Est Io. Aug. Noesselt Historia Paraphraseon Erasmi Rot. In  
Novum Testamentum

**Erasmus, Desiderius**

**Berolini, MDCCCLXXX**

**VD18 90514300**

In Epistolam Ioannis Secundam Paraphrasis Per Des. Erasmus  
Roterodamum.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-14035**

IN  
**EPISTOLAM IOANNIS**  
 SECUNDAM  
**PARAPHRASIS**  
 PER  
**DES. ERASMUM ROTERODAMUM.**

**S**enior Ioannes scribo dominae electae, simulque filiis illius, quos ego sincere diligo, nec id facio solus, sed omnes mecum, qui cognoverunt veritatem evangelicam, nec ob aliud diligunt, nisi quod intelligunt evangelicae professionis sinceritatem, quam sequimur, manere in vobis, ac mansuram in aeternum. Gratia, misericordia et pax semper vobis ageatur a Deo patre, ac domino Iesu Christo, perseverantibus in veritate doctrinae evangelicae, ac mutua caritate. Vehementer gavisus sum, quod compererim liberos tuos, matris pietatem imitantes, perseverare in veritate doctrinae evangelicae, nec auscultare falsis doctoribus, qui conantur multos ab hac avertere, quum pater hoc nobis praeceperit, ut doctrinae filii sui audientes essemus, et ab illius vestigiis non recederemus. Itaque iam non est opus, domina, ut novis praceptis instruam pietatem tuam, tantum in eo perseveremus, quod ab initio traditum est, ut nos mutuo vereque christiano amore prosequamur. Conciliet autem hanc benevolentiam inter nos piae vitae consensus ac similitudo, ut concordibus studiis vivamus iuxta Dei praceptum, qui nihil



æque diligenter nobis iniunxit, quam mutuam inter nos caritatem. Porro nec inter impios intercedit verus amor, nec inter dissimiles. Nihil igitur adfero novi praecepti, sed etiam atque etiam admoneo, ut in eo, quod iam olim accepistis, perseveretis, nec inde vos ullis artibus pseudoprophetarum avelli patiamini.

7 Siquidem existiterunt multi seductores in mundo, qui negant Iesum esse Christum, qui erat venturus in mundum iuxta prophetarum oracula. Quisquis hoc docet, seductor est, et ille antichristus, Christi adversarius.

8 Caveat sibi quisque, ne si relinquat, quod bene coepit, perdat omnem fructum eorum, quae hactenus bene gefit, sed demus operam, ut plenam mercedem recipiamus, quae non contingit, nisi perseverantibus usque ad

9 finem. Quisquis divertit a veritate, nec perseverat in doctrina Christi, is et a Deo patre est alienus, quem desciverit a filio. Caeterum qui constanter sequitur huius doctrinam, is eadem opera et patri carus est et filio. Alter sine altero nec haberi potest, nec relinquere. Haec est illa vera doctrina, quam a veracibus testibus

10 accepistis ab initio. Quod si quis venerit ad vos, qui diversam ab hac doctrinam afferat, ut vos abducat ab evangelica veritate, huic adeo non debetis auctulare, ut nec in domum sit admittendus, si quaerat hospitium, nec ave dicto salutandus, si forte sit obvius in via. Periculum est enim, ne familiam suo convictu inficiat, et pro officio communicati tecum rependat maleficium, atque a salutatione nascatur colloquium. Corrumptum

11 autem bonos mores colloquia prava. Porro qui salutat et congregitur cum impostore huiusmodi, consors esse videtur malefactorum illius. Addit enim animum improbo, dum se videt esse alicuius pretii apud eos, quos nititur subvertere, et aliis specimen mali praebet, quasi favere videatur illius malitiae, cuius non horret

12 familiaritatem. Erant alia multa, quae cupiebam vobis scribere super hisce rebus, verum ea malo praefens expli-



explicare, quam calamo chartisque committere. Nam  
spero fore, ut brevi vos invisam, ac praesens cum praes-  
sentibus colloquar, ut gaudium, quod ex vestra con-  
stanti sinceritate concepi, fiat uberius ac plenius, dum  
et coram intuebor in vobis, quod nunc absens audio  
de vobis, et vos vicissim meum erga vos affectum ocu-  
lis conspicabimini. Salvere te iubent nepotes tui, filii<sup>13</sup>  
fororis tuae, foeminae christianaæ.

## PARAPHRASEOS

IN EPISTOLAM IOANNIS SECUNDAM

F I N I S.

---

*Tom. III.**Nnn**IN*

PIAE BIBLIOTHECA

CLAVIUS, BONIUS, TURPINUS, VIT

ELLIUS, GALLIUS, DE CERVO, TITIANUS,

ORLANDUS, ZENO, POMPEIUS, VENICE, VENETUS,

PIRELLUS, VENETUS, VENICE, VENETUS, VENETUS,

IN

# EPISTOLAM IOANNIS

TERTIAM

PARAPHRASIS

PER

DES. ERASMUM ROTERODAMUM

**S**enior Caio viro multum amabili, quem ego diligo  
**2** sincere. Carissime, illud votis opto a Iesu Christo, ut  
 quemadmodum prospere agit anima tua, perseverans  
**in** evangelica doctrina, ita et in caeteris omnibus prospe-  
**3** re agat, bene fortunante Christo. Neque enim me-  
 diocrem cepi voluptatem ex oratione fratrum, qui ve-  
 nerunt ad nos, ac testimonium praebuerunt tuae sinceri-  
 tati, tam veri testes, quam tu vere sequeris evange-  
 licam veritatem, non modo professione, verum etiam  
**4** studiis, totaque vita. Neque enim ulla res animum  
 meum maiori afficit gaudio, quam si contingat, ut  
 audiam filios meos, quos per evangelium genui Chri-  
**5** sto, sequi veritatem a nobis traditam. Carissime, quod  
 officiosus es erga christianos, qui istic agunt, aut istuc  
**6** hospites commeant, rem facis dignam eo, qui vere fi-  
 dit evangelio, ac diligit Christum. Nam illi testifi-  
 cati sunt de tua sinceritate coram omni coetu christia-  
 norum. Recte facias autem, si quos humaniter accepisti<sup>\*)</sup>  
 venientes, pari humanitate deducas, quo volunt profi-  
 cisci, sicut merentur tractari, qui Dei negotium agunt,

<sup>\*)</sup> Aliae: *excepisti*

